

*Goswino de Hueuen alias de Arn-  
bem* Doctore in Medicina et Ca-  
nonico B. *Mariae Traiectensis su-  
perior*. reservato tamen usu sibi et  
Fratri suo *Johanni* pariter M. D.  
et Pastori in *Hamont Leod.* Dioec.  
quin facultate revocandi donum;  
quod et fecit propria manu subji-  
ciendo: *Placuit ut liber prefatus  
perpetuo maneret in facultate theo-  
logica Vniuersitatis studij Wyen.*  
Itaque ex testamento M. *Johannis  
Selingstat* M. D. qui Facultati no-  
strati Medicae a. 1493. nonum  
Decanus praefuit, traditus est ad  
*Librariam Collegij Ducalis ex op-  
posito Fratrum Predicatorum* a.  
1495. ab *Joh. Harrer de Heil-  
brun* S. T. D. et Academiae no-  
strae quater Rectore, ut pluribus  
Codex in anteriore Theca.

## DLXXII.

R. 2026 Codex membraneus lat. Sec.  
XIII. Folior. 151. 4. min. per  
duas columnas pulcre scriptus,  
minio distinctus, et prius *Fratrum  
cartusiensium in solitudine degenci-  
um in domo porte Beatissime sem-  
per Virginis Marie in Axpach sita  
in Prouincia archiducatus Austriae  
(inferior.) prope Danubium inter  
montes in silua*, ita orditur: *Incipit  
prologus Breuiloquii Sancti bo-  
naeuenture Ordinis fratrum mino-  
rum doctoris Seraphici atque che-  
rubici.* Tardius accessit haec Rub-  
rica; Exemplum enim ipsum vivo  
fortassis Autore, qui annum 1274.  
supremum habuit, descriptum fuit.  
Ejus initium est: *Flecto Genua  
mea ad patrem domini nostri ihesu*

*christi &c.* Pluries jam retuli hanc  
*Επιτομην* totius Theologiae, quae  
T. VI. *Opp.* Edit. *Lugd.* 1668.  
p. 5. praesto est. In praesenti Co-  
dice postrema Membrana excidit,  
unde a verbis c. ult. *gaudebunt to-  
to corde, tota mente, tota anima,  
ut — — — cetera* in charta tar-  
dius subpleta sunt; adiecta item a-  
lia carpta ex *Augustino, Gersono,  
Bonaventura, Benedicto &c.* Afce-  
tica, praecipue de Humilitate,  
quibus immorari operae pretium  
haud videtur; observandum solum-  
modo, *Gersonem* primum fuisse,  
qui *Bonaventurae* etiam *Cberubici*  
titulum indidit in Epistola de *E-  
jus Laudibus*, quae T. III. Edit.  
*Dupin.* P. 2. a p. 741. inter alias  
habetur.

## DLXXIII.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3074  
XIV. Folior. 170. f. min. per  
duas columnas scriptus, rubricis  
distinctus, et olim *Monasterii San-  
cte Dorothee in vienna* complecti-  
tur haec. I. *Breuiloquium Bone-  
uenture.* Extat illud, ut paullo ante  
indicavi, in edit. *Opp. Lugd.* 1668.  
T. VI. p. 5. f. et incipit: *Flecto  
genua mea ad patrem Domini no-  
stri &c.* saepius a me relatum. Ad  
calcem: *Laus tibi sit christe, quo-  
niam liber explicit iste. Explicit li-  
ber Breuiloquii boneuenture per  
manus duorum (quorum tamen cha-  
racterem aegre distinguas) Qui di-  
uiditur in VII. partes. Anno Do-  
mini M° CCC° LXXXV°.* Jam  
*Scriptor cessa, nam (quoniam?) ma-  
nus est tibi fessa.*